

Version latine n°4 : l'étoffe dont sont faits les rêves

Et quo quisque fere studio deuinctus adhaeret,
aut quibus in rebus multum sumus ante morati,
atque in ea ratione fuit contenta magis mens,
in somnis eadem plerumque uidemur obire :
causidici causas agere et componere leges,
induperatores pugnare ac proelia obire,
nautae contractum cum uentis degere bellum,
nos agere hoc autem, et naturam quaerere rerum
semper, et inuentam patriis exponere chartis.
Cetera sic studia atque artes plerumque uidentur
in somnis animos hominum frustrata tenere.
Et quicumque dies multos ex ordine ludis
adsiduas dederunt operas, plerumque uidemus,
cum iam destiterunt ea sensibus usurpare,
relicuas tamen esse uias in mente patentis,
qua possint eadem rerum simulacra uenire.
Per multos itaque illa dies eadem obuersantur
ante oculos, etiam uigilantes ut uideantur
cernere saltantis et mollia membra mouentis
et citharae liquidum carmen chordasque loquentis
auribus accipere, et consessum cernere eundem
scenaique simul uarios splendere decores :
usque adeo magni refert studium atque uoluntas,
et quibus in rebus consuerint esse operati
non homines solum sed uero animalia cuncta. [...]
Venantumque canes in molli saepe quiete
iactant crura tamen subito uocesque repente
mittunt et crebro reducunt naribus auras,
ut uestigia si teneant inuenta ferarum,
expergefactive secuntur inania saepe

ceruorum simulacra, fugae quasi dedita cernant,
donec discussis redeant erroribus ad se.

At consueta domi catulorum blanda propago
discutere et corpus de terra corripere instant,
proinde quasi ignotas facies atque ora tuantur.

Et quo quaeque magis sunt aspera semini-
orum, tam magis in somnis eadem saeuire necessumst.

At uariae fugiunt uolucres, pinnisque repente
sollicitant diuom nocturno tempore lucos,
accipitres somno in leni si proelia pugnas
edere sunt persectantes uisaeque uolantes.

Lucrèce